

LOCI ALIQUOT TUM EMENDATI  
TUM ACCURATIUS ILLUSTRATI IN  
CICERONIS ORATIONE PRO  
ARCHIA.

SCRIPSIT

P. I. ELVENICH, Philos. Dr. et Prof. P. E.

---

Tametsi, nescio quo fato, a philologiae studio delatus ad philosophiam, in hac disciplina pro muneris mei ratione potissimam operam curamque soleo collocare: tamen magnopere etiam delector iis litteris, ad easque recolendas interdum allicior, in quibus fere unis etiam peractio iam academico curriculo per plurium annorum spatium habitabam. Ac neminem, ut mihi quidem videtur, quaecumque vitae genus sequatur in posterum, si modo adamavit aliquando litteras humanitatis, easdem omnino negligere totumque se ab earum quasi consortio abdicare oportet. Pervulgata sunt et gravia et elegantia verba illa *Cicero- nis* in oratione *pro Archia* c. 7.: *haec studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.* Sed fortasse haec quispiam aliena putet; faciam igitur, ut ad rem ipsam descendam. Locos aliquot tum emendatos, tum accuratius illustratos proponam ex ipsa illa oratione *pro Archia*; quae quidem ut facile omnium maxime legatur, neque ulla alia tam manibus teri soleat: tamen ulceribus etiam laborat suis, nec uno tantum

loco diligentiam criticorum et interpretum desiderat. Subsidio autem mihi fuerunt collationes Lagomarsinianaë, quas *Niebuhrus* V. III. pro humanitate sua mecum in usum communicavit. Quae res et pergrata mihi nec parum utilis fuit; nam ut incondite agunt, qui, quo minus ingenio valent, eo studiosius conquirunt variarum lectionum farraginem, ex eaque sine via ac ratione hoc illud arripiunt tanquam verisimile aut certum, praesertim si speciem habet novitatis: sic in contrario errore versantur, qui nimium confidentes in ingenii sui acumine et sagacitate vix operae pretium putant aliquam novorum subsidiorum rationem habere. Atque ex hoc duplici criticorum genere alteri magis dolendi sunt, quum, quod natura non dedit, quodque deesse ipsis plerumque ne somniant quidem, assiduitate sua explere nullo modo possint, alteri in maiorem reprehensionem cadunt, propterea quod praecipua critici virtute a natura praediti nihil reliquum habent, nisi ut desidiam suam intempestivam abiciant. Sed vereor iterum, ne evagari videar aut liberius excurrere; quare nihil iam amplius huiusmodi in medium proferam.

C. III. §. 4. \*): *primum Antiochiae; (nam ibi natus est, loco nobili, celebri quondam urbe et copiosa atque eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis affluenti), celeriter antecellere omnibus ingenii gloria contigit. Pudet contra eos pugnare, qui ad contigit desiderant ei; quasi vero omnia minima mansa esse oporteat. Similem locum in re liquida huc attulit F. C. Wolffius. Sic enim ad Att. VIII, 11.: quoniam autem, tecum ut essem, non contigit. — Pessime autem se habet parenthesis illa, quae potius concludenda est verbis loco nobili (i. e. genere claro,*

---

\*) ex Ernestii editione, quam in citandis capp. et §§. sequi placuit.

non obscuris parentibus), ut proxima tanquam appositio referenda sint ad *Antiochiae*. Quaeso enim, quid attinet dicere, *natum* esse Archiam in celebri quondam urbe — liberalissimisque studiis affluenti? at in eiusmodi urbe celeriter omnibus ingenii gloria antecelluisse, id vero maximo numero ducendum est.

C. III, §. 6.: *et totam Hortensiorum domum devinctam consuetudine quum teneret, afficiebatur summo honore, quod* rel. Sic omnes editiones, ceterique codices praeter unum (19) a Lagomarsinia collatum, in quo est *continebat*. Rectissime id quidem. Nam ut mittam orationis concinnitatem, quae vulgata lectione perit omnis, nova illa revocatur: ne sensum quidem idoneum ex loco, ut supra scripsi, extorqueas. Quod miror neminem attigisse interpretum aut criticorum, scilicet aliis locis non raro nodum in scirpo quaerentium. Nam quale tandem hoc consequens est: *afficiebatur s. h.*, propterea quod Lucullos — et totam Hortensiorum domum devinctam consuetudine (usu familiari) tenebat? Nihil potest aut per se magis putidum excogitari, aut minus ad proxime superiora accommodatum. Deinde quum praecesserit propositio causalis, ineptissimum est, subsequi alteram item causalem: *quod eum — simulabant*. Quid? *si qui forte simulabant!* Efficeretur ergo; (id enim flagitaret nexus sententiarum), ut satis aperte Cicero ex viris nobilissimis, Lucullis, Druso, Octaviis, Catone, Hortensiis unum alterumve ridiculum simulatorem significaverit. Satis haec bene sanis. Scribendum igitur *continebat*, eaque voce concluditur colon simile eorum, quae supra sunt: *erat iucundus Metello, vivebat cum Catulo* rel. — Postremo tanquam per gradationem aptissime et ex more oratoris universalis sententia accedit: *afficiebatur summo hon.*, *quod — simulabant*. Sed vel sic erunt fortasse, qui mordicus inhaerentes in vulgata Ciceronem plane ineptientem faciant.

C. IV, §. 7. : *Data est civitas Silvani lege et Carbonis.* Sed cui data est civitas (romana)? nimirum ei (Archiae), ut placet quibusdam. Quod si voluisset Cicero, vere negligentissimus h. l. fuisset, quum de aliis quoque cogitari possit. Non eadem ratio est loci, quemante tractavimus, in quo qui requirebant ei, nesciebant scilicet, iniusta negligentia quid esset. Certe h. l. subsistendum in eo est, quod et ipsa verba legis loquuntur, et proxime inferiora mirifice confirmant. Sententia generalis est, non referenda ad solum Archiam, sed communiter ad omnes, qui nondum cives essent romani: his data est civitas, sive constitutum est lege, ut pro civibus essent, conditionibus tamen adiunctis. Ergo lex illa nihil erat praeter adhortationem, qua plurimi peregrini ad civitatem romanam consequendam invitarentur. Vide iam, ut aptissime procedat narratio: *Quum hic domicilium Romae multos iam annos haberet, professus est apud Q. Metellum familiarissimum suum.* Docet Cicero, quod ut doceat, reliquum est, nullam ex tribus conditionibus in Archia desiderari. Nam foederatis eum civitatibus, inprimis Heracleensium, fuisse adscriptum, supra narravit. Addit h. l., multos iam annos in Italia, et quidem Romae, domicilium habuisse, itemque professum esse apud Praetorem. Ex quo efficitur, Archiam ex lege esse civem romanum: *Si nihil aliud nisi de civitate (romana) ac lege (qua impetraverit civitatem) dicimus, nihil dico amplius, causa dicta est.* Neque illud praetermittendum puto, si forte pertinax quisquam reperiat, duobus etiam locis defendi id, quod supra posui: nam et eodem hoc capite extremo verba *ante civitatem datam* et c. V, 11. *post civitatem datam* aperte, nisi universe, non possunt intelligi.

C. V, §. 11. : *Sed quoniam census non ius civitatis confirmat, ac tantummodo indicat, — gessisse pro cive: iis temporibus, quae tu criminariis ne ipsius quidem iudicio*

*eum* — esse versatum, et testamentum rel. Similem periodi structuram vide supra I, 1. : *Ac nequis a nobis hoc ita dici — disciplina : ne nos quidem — dediti fuimus.* Abruptum et ab usu quotidiano remotum genus apodosi cum protasi coniungendae. Nos apodosin inciperemus fere sic: *so wisse, dass.* Sed restat, ut mendum tollamus; nam quod vulgo legitur: *quae tu criminaris — eum — esse versatum*, ferri nullo modo potest. Ergo complures *queis* pro *quae*; alii *quibus*, quod legitimum est apud prosarios huius aetatis scriptores, non studiosos quidem illos dictionis antiquae; rursus alii *per quae*. Mihi videtur scribendum *quum*: nam et proxime istud ad codicum vestigia accedit, neque dubium est, quin ea particula post *dies*, *tempus* satis frequenter vim habeat pronominis relativi. Ansam corruptionis, praecedente *temporibus*, dedit scripturae compendium. Fortasse hoc etiam aliquid momenti addit coniecturae meae, quod cod. C. habet *quem*.

C. VI, §. 12.: *Quaeres a nobis.* Multi Cds *quaeris*, quod exquisitius est et aptius, praesente quidem adversario, oratore autem ad orationis alacritatem incitato. Non eadem alibi ratio est, ubi universe orator aliud sentientem compellat aut reponentem inducit, ut C. VII, init.: *Quaret quispiam.*

*Ibid.*: *ut ab nullius unquam me tempore aut commodo aut otium meum abstraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique somnus retardarit.* Rectissime *commodo*, non *commodum*. Primum ob orationis concinnitatem; quae quidem ratio, etiam ab aliis commemorata, in oculos incurrit. Deinde nonne *otium*, *voluptas*, *somnus* sunt ipsa illa *commoda* s. bona, quae impellere Ciceronem potuissent ad deserendam rempublicam? Non enim cogitandum in voce *commodum* est de divitiis, quibus comparandis augendisve etiam utilis erat rerum publicarum administratio. Itaque *commodum* significaret genus, cuius species subiice-

rentur, quod et per se absurdum hoc loco est, neque id patitur particula *aut* ante *otium*.

*Ibid.* §. 13. : *quantum denique aleae, quantum pilae.* Quod in Pithoei codice legitur, *alveolo*, idem non obscure extat in Scholiis Mediolanensibus, quae habent *aolo*. Probandum cum Graevio videtur illud *alveolo*, siquidem rarior et exquisitior lectio per se praeferenda est, nec in huiusmodi rebus nimium est in codicum multitudine confidendum. Tesseris autem ludì solitum fuisse in *alveolo*, docet Gell. N. A. I, 20. Cfr. etiam Cic. de Fin. V, 20.

*Ibid.* §. 14. : *Sed pleni omnes sunt libri, plенаe sapientium voces, plena exemplorum vetustas.* Haesitant in constructione. In primo et secundo membro recurrunt ad antecedentia, ut sensus expleatur. Temere id quidem, multoque aptius est, omnia illa *pleni, plенаe, plena* prorsus eodem modo iudicare, h. e., referre ad *exemplorum*. Equidem magis perspicuum foret: *plena vetustas exemplorum*, sed vicit, ut Quintiliani verbis utar, compositionis decor, i. e. numerus, qui quantum valeat ad collocationem verborum, praesertim apud Ciceronem, vel mediocriter intenta lectione percipitur.

C. IX, §. 19. : *nos hunc — repudiabimus?* Quod summi critici, non sine multorum codicum auctoritate, maluerunt *repudiamus*, mihi non item probatur. In eo certe audiendi non sunt, *ἐμφατικώτερον* esse *repudiamus*, praesertim quum praesens tempus antecedit; quae ratio aut parvi est aut nullius momenti. Nam obstat primum, quod Cicero, meo quidem sensu, praesenti tempore leviter significaret, Archiae causam a iudicibus inferiorem, aut saltem periculosam haberi. Deinde quidni paulo ante in illis: *Saxa — respondent; bestiae — cantu flectuntur atque consistunt: nos — non poetarum voce moveamur?* quidni, inquam, h. l. post praesens tempus item praesenti usus est? nam *moveamur* idem valet, quod *movebimur*. Pos-

tremo si dubium non est, quin possit, pariter ac praecedente praeterito, etiam post praesens tempus sequi illud futurum, non reiicere oportuit locos parallelos ex hac ipsa oratione: VIII, 27. : *nos animorum — motus — negligemus?* et X, 36. : *nos hunc Heracleensem — eiiciemus?*

*Ibid.* §. 21. : *nostra semper feretur et praedicabitur, L. Lucullo dimicante, cum interfectis ducibus depressa hostium classis et incredibilis apud Tenedum pugna illa navalis; nostra sunt tropaea, nostra monumenta, nostri triumpho.* Misere hunc locum elegantem detorsit Garatonius; cuius viri quoniam tanta laus est, pluribus verbis, quam pro consuetudine, disceptandum erit. Primum ipse quid sentiam, explanabo, tum ad arma adversus principem virum. — Sensus loci hic est: *nostra* i. e. populi romani (uns angehörend, unser Werk) praedicabitur esse interfectio ducum et depressio classis. Pro *interfectio*, *depressio* aptissime usus est participio pass. de actione praeterita. Pronomen possessivum, ut *sexcenties*, ita et hic et in proximis: *nostra sunt trop.*, vim habet genitivi. Verba illa: *et incredibilis - pugna illa navalis*, ad explicandum adiciuntur, neque hoc durum videri potest ei, qui in particula *et* saepius inesse vim mere explicativam non ignorat. Praeclare autem et cum magna emphasi orator, postquam singulas res gestas enumeravit, pro more suo ad augendam gravitatem magis universe et simul omnia complectens haec addit: *nostra* (populi rom.) *sunt tropaea*, rel. — Iam quid Garatonius? Post voces: *nostra semper feretur et praedicabitur*, punctum apponit, et ad *nostra* ex antecedentibus subintelligit *laus*. Quasi in eadem sententia non satis fuisset illud: *populi rom. laus est*. Friget ergo et maxime friget Garat. ratio; qua eadem numerus prope omnis tollitur. Porro subsequencia omnia inde a *L. Lucullo* in unam enuntiationem concludit ita, ut *classis, pugna* enuntiatum subiectum, *nostra tropaea*, cet. prae-

dicatum sint. Contra quod duo pugnant. Nam et emphasis, quae dominatur in hoc loco gravissimo, multo maior erit, si postrema generatim, ut supra dixi, acceperis; et vero quid magis putidum, quid intolerabilius esse potest, quam exordiri novam sententiam a verbis: *L. Luc. dimic.?* Nam in antecedentibus ab initio quidem sententiarum, et rectissime, legitur: *populus rom., populi rom. exercitus, populi rom. laus*: contra interposita sunt haec: *Lucullo imperante, eodem duce, eiusdem consilio*. Num vel sic dubitabit aliquis, quin pessime se habeat punctum illud, et a voce *nostra* ordiatur propositio, pertinens quidem illa usque ad verba: *nostra s. tr.?* Mitto aliam, licet paulo meliorem, coniecturam Garat., cui et ipse non multum tribuit.

*Ibid.* §. 22.: *Carus fuit Africano superiori noster Ennius; (itaque etiam in sepulcro Scipionum putatur is esse constitutus e marmore): at iis laudibus certe non solum ipse, qui laudatur, sed etiam populi rom. nomen ornatur. Sic scribendum videtur. Alii plene interpungunt post e marmore; tum pro ipse — laudatur habent ipsi — laudantur. Rursum sunt, qui haereant in pronomine iis ante laudibus. De singulis videndum est. Et primum quidem sententiam illam: itaque — e marmore, nihil esse praeter parenthesin cum per se satis lucet, tum simili loco confirmatur, qui supra est VIII, 19.: *Homerum Colophonii civem esse dicunt suum —, Smyrnaei vero suum esse confirmant; (itaque etiam delubrum eius in oppido dedicaverunt), permulti alii praeterea pugnant. — Beckius, qui h. l. propositionem: itaque — dedicaverunt, parenthesis signis interclusit, eandem debuit rationem ad nostrum locum transferre. Deinde pro ipsi, qui laudantur, sex codices (2. 8. 21. 25. 36. 43.), a Lagomarsinio exsignati, afferunt: ipse, qui laudatur, i. e. Africanus. Commodissime id quidem: nam et Ennium constat scripsisse carmen in Scipionem,**

et expectes, nedum flagites; ut diserte hic in Africanum laudes commemorentur. Atque hoc velle Ciceronem, etiam quodammodo innuit particula adversat. *at*. Quod enim carus Africano fuit Ennius, ex eo, itemque ex statua illa intelligitur quidem, quantus honos debeatur insigni poetae, sed hoc nihil per se ad pop. rom. laudes: at quod Africanum, virum excellentissimum, carmine suo ornavit Ennius, hoc demum bene meritis est etiam de populo romano. Nec vero aliud Cicero per totum hunc locum contendit, nisi ut intelligatur, populum ipsum celebrari poetarum carminibus. Qui postea nominantur viri, Cato, rel. existimandi sunt aut eodem Ennii carmine aut alio laudati fuisse; neque id puto quidquam habere posse difficultatis ex eo, quod oratio paulum abrupte, nervose tamen, progreditur. Venio ad tertium, quod reliquum est. Codices omnes: *iis laudibus*. Quibus tandem? nimirum vulgaris, quas nemo, nisi rudis litterarum, ignorabat. Saepius hunc usum habet pronomen *ille*, interdum *is*. Quare opus non est corrigere *eius*.

C. XI, §. 28.: *hortatus sum*. Non frustra videtur in codicibus bene multis itemque in scholiis scriptum esse: *hortavi vel adhortavi*. Cf. Priscian. VIII, p. 791. 797.

C. XII, init.: *An vero tam parvi animi videamur esse omnes, qui —, ut — nobiscum simul moritura omnia arbitremur?* Interpretabor hunc locum, tum quod male intellectum video ab intelligentissimis viris, tum ut inde lux afferatur ad emendationem, quam infra subiungam. Ernestius ad hunc locum: »Saepe, inquit, inclinavi ad corrigendum *videmur omnes*, i. e., *sumus*. Mox series sententiae videatur requirere: *nobiscum simul mori omnia velimus*. Is esset vere parvus animus, qui nullum gloriae sensum haberet. Philosophi contra non secum omnia sua mori, sed nomen suum et famam conservari volunt.« At quod ponit Ernestius, a Ciceronis sententia, qualis ex

ipsis verbis proficiscitur, et mirum quantum differt et vim habet multo minorem. Ernestii sensus: an tam parvi animi sumus, ut nobiscum simul mori omnia velimus? propemodum sensu caret. Nam quis unquam sanae mentis homo id *voluit*? Profecto velle istud non tam parvi animi est, sed insipientis aut certe sceleratissimi hominis. Contra *arbitrari*, nobiscum simul moritura omnia, h. e., post mortem non fore vitam hominis immortalem, id videri potest parvi animi esse. Non ergo, ut Ernestius cum plerisque, hunc locum de gloria, sed de vita hominis immortalis accipio, quod sane postulat verbum illud *arbitremur*. Atque sic demum locus noster apprime cohaeret cum antecedentibus, ut parum consideratus fuerit Ernestius in eo, quod in seriem illius sententiae per se quidem ambiguae oculos defixerit, non circumspiciens superiora. Nam gloriae quidem ad posteros propagandae cupiditas, qua de paulo ante dictum est, ex hoc ipso pendet potissimum, ut de vita immortalis nobis persuasum habeamus. Postquam igitur virtutem Cicero nobis insidere dixit, quae admo- neat, commemorationem nominis nostri cum omni hominum posteritate adaequandam, h. e., ad gloriam immortalem nitendum esse, causam huius rei, modo tamen oratorio, subiungit, nempe animos esse immortales. Eodem spectant, quae infra dicit: *Haec vero —, sive, ut sapientissimi homines putaverunt, rel.* Utramque autem illud, ex quibus unum est cum altero coniunctissimum, comprehendit in Catone XXIII. his verbis: *Quod quidem ni ita se haberet, ut animi immortales essent: haud optimi cuiusque animus maxime ad immortalitatis gloriam nitetur.* — Ex his iam lucis quidquam accedet ad proxima, in quibus quin vitium lateat, dubitari non potest.

*Ibid.*: *An, quum statuas et imagines — reliquerint, consiliorum relinquere ac virtutum nostrarum effigiem nonne multo malle debemus? Quid illud: an — nonne? Nam*

quod multi ediderunt *non*, scilicet nimium discedunt a codicibus. Levior est adhibenda medicina, modo in promptu sit. Vitiosum est *an*, quod tinniens etiam in auribus librariorum facile migravit huc ex antecedentibus. Scribendum *at*, quae particula quum saepe per assumptionem faciat ad concludendum, h. l. aptissima est. Praecedit enim sententia haec: arbitrandum est, vitam hominis immortalem esse. Assumptio: at (atqui) hac fide commoti multi summi homines statuas — reliquerunt. Conclusio: ergo consiliorum relinquere — effigiem multo malle debemus. Utrumque vero, et assumptionem et conclusionem, una orator periodo complexus est. Postquam haec scripseram, eandem vidi emendationem ab Ilgeno factam esse, si tamen fides habenda est Beckio: nam F. C. Wolffius monet, Ilgenum, quem quidem ipsum inspicere non potui, correxisse *ac*. Ferri autem istud *ac* propter hiatum non potest ante *quum*. Cfr. F. A. Wolf. in Anal. ad Cic. de Nat. D. I, 1, 2., ubi docet, particulam *ac* meliore linguae aetate non ante vocales poni, neque ante *c, h, q, x*. Ergo in emendandis scriptoribus non oculis tantum, sed etiam auribus uti necesse est.

Haec hactenus. Cetera reiicio ad editionem, quam et huius et aliarum quarundam Cicer. orationum data opportunitate parabo.

---